

nur finem. Tota enim vis in igne iacet. Hoc rudem illam indigestamque molem in elementa illa quatuor discernimus liuelliimusque, eadem porro componimus ac cogimus in vnum: hoc vertimus in calcem inchoatumque perficimus. Atque nisi principio quidem lenis fuerit & mansuetus ignis, conglutinabit constringetque potius, quam dissoluet: rursus nisi inualuerit, cum verti in calcem res exposcet, laborem artificis frustrabitur. Ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. Quemadmodum autem in omnibus rebus videndum est quatenus, & tamen si suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, ut inquit Cicero, quam parum: ita & in hoc negotio adhibendum est regimen quoddam, ac remittendus potius quam intendendus calor. Sunt enim e numero res istae quas vnum facere diximus, eorum, quae Aristoteles contrario motu moueri alicubi scripsit. Quod si quis animus ad eius verba aduertit, haud dubie dignoscet e quibus electari sal illud fusile ac philosophicum oporteat. Sunt autem eae res eiusmodi, ut tamen si ex eodem fonte scaturiant, igne tamen effundatur altera, cum altera comprimatur. Quum enim liquescit fluitque corpus, spiritus congelat: estque idem tempore actus. Quis non tantam rem modo assecutus est? Nempe exequor ista non quod plerique omnes faciunt, doctis tantum atque harum rerum peritis: Sed meae urbae, id est, crassioribus imperitisque, quando doctis quidem superuacaneus est praceptor. At cum nullus sit in hac arte locus altiori egens indagine, ut qui non aliter a permul- tis, quam *divi prælixiōis* inducitur, sitque vna e tribus illis huius operis irreferabilibus seris (sunt autem cognitio materiei, vasis inuentio, modus ignis) tum nihil est hoc tempore manifestius. Dixi, Vasis. Vasorum enim copia nihil ad hanc rem: sufficit satisfacitque vnicum idque vitreum receptaculum vtriusculi cuiusdam ouiae oblongi figura, vti disiuncta discretaque elementa possint in orbem rotari, mutuoque collisu lapide idē sortiri alterandi, augēdi, gignendiq; virib. conspicuū atq; incomparabilē. Nam cū operū omnium, quae in lapide fiunt, id est, sublimationū, solutionū, destillationū, coagulationū, reificationū, atq; ut illi loquuntur, calcinationū & fixationū, hoc vnū sit abunde capax, quid multis egerim? Cernitur & in hoc initio cum soluitur, atra materia, post multicolor, deinde alba & candida, postremo rubra. Sed. n. oportet ob-

Ignis quae-
lis initio
& in fine
operis.

Descri-
ptio remo-
tae mate-
riae lapidis

Seræ hu-
ius operis
irrefera-
biles.
Vas lapi-
dis.
Lapidis o-
pera varia.

Colores
materiae
lapidis.

structiss.